

p. m. 1408. scribit: *Vera DEI in Christo cognitio dicitur vita aeterna, non solum quia est modus ac medium perveniendi ad vitam aeternam, sed etiam est ἀρχή & initium vitae aeternae.* Eodem pertinet, quod *B. Hunnius* in *Comm. in. Ep. ad Hebr. C. VI. P. II. Tom. IV. pag. 895.* scribit: *Gustaverunt bonum Dei verbum & virtutes futuri seculi, dum ex Dei verbo divitias bonitatis divinae, & quendam quasi sensum & gustum aeternae vitae regnique caelestis perceperunt, obsignati scilicet Spiritu Sancto, tanquam arrha hereditatis electorum.* Et *B. Feuerbornius* *T. VII. Dispp. Giesl. Disp. XIII. §. 7. pag. 187.* *Gustare,* ait, *heic* (l. c. ad Ebr.) *significac frui (quodantenus) & cognoscere, uti etiam sumitur, Psal. 34. v. 9. & 1. Petr. 2. v. 4.*

LXV. Ex parte voluntatis autem prægustum hunc importare AMOREM Dei, ut summi Boni nostri, docuit inter alios *B. Gerbardus*, quando in *Medit. SS. Medit. IX.* scripsit: *Amor Dei est carrus Eliae ascendens in caelum: Amor Dei jucunditas est mentis, paradisus animae, excludit mundum, vincit Diabolum, claudit infernum, aperit caelum.* Ad eundem vitae aeternae prægustum pertinere etiam SPEM vitae aeternae, probari solet ex *Rom. VIII. v. 24.* ubi de his, qui vers. praec. dicebantur *habere primitias Spiritus*, deinceps dicitur, quod *spe salvi facti sint*: ac *B. Gerbardus* in *Comm. ad h. l. p. m. 260.* notat: *Quemadmodum Israëlite ex primitiarum oblatione spem concipiebant reliqua segetis suo tempore fruenda: sic credentes ex donis Spiritus Sancti concipiunt spem gaudiorum caelestium, quae erit plena messis.* Similiter, quod *Ebr. VI. vers. 5.* dicitur de gustu virtutum futuri seculi; cum loco cit. ad *Rom.* conjungens *Balduinus*, *Dis. VII. in Ep. ad Ebr. Thes. XV. de Apostasia p. 1589.* scribit: *Hausti in hac vita spe gustare & ad finem usque hac spe sustentari solent, unde & spe salvari dicimur.*

LXVI. Frequentissimum autem est, quod gustus ille exponitur per perceptionem interni & spiritualis GAVDII in Spiritu S. Ita *Flacius* in. *Not. ad Ebr. VI. vers. 4.* *Virtutes futuri seculi,* ait, (quarum gustus l. c. indicatur) *sunt illud ineffabile piorum gaudium ex verbo & Spiritu S. nobis proveniens, qui vere est gustus quidam bonorum ac efficacia venturae illius vitae.* *Conf. BB. Osiandrum &*

&amp;